GREGORIUS MAGNUS

Österreich, Anfang 14. Jh. Seite 205r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26048
Copyright: Admont, Benediktinerstift

multa tolerantur. Sed tales qui
quasi seu extra ecclesiam seu intra
sanctam ecclesiam esse videantur, tan-
to se aptiores dei hostes ex-
hibent, quanto maiores sunt
patroni vitiorum. Contra illum
quippe suis defensionibus pug-
nant, cum ea que displicent
defendendo multiplicant. Un-
de bene per prophetam dominus sub
babylonis specie redarguit
dicens. Orientur in domibus eius
spine et urtice et paliurus in
munitionibus eius. Quid namque
per urticas nisi cogitationum pruri-
gines, quid vero per spinas nisi
vitiorum punctiones accipimus.
In domibus igitur babylonis ur-
tice et spine pullulant, quia
in confusione mentis reprobe et de-
sidia cogitationum surgunt, que
exasperant, et opera prava, que
pungunt. Sed hec agentes
habent etiam nequiores alios
defensores suos. Unde illic ap-
te protinus subditur. Et paliurus
in munitionibus eius. Paliurus
quippe tanta spinarum circumda-
tione densescit, ut pre aspe-
ritate tangi vix possit. Intus
igitur urtica et spina nascitur,
sed utrumque hoc exterius per pa-
liurum munitur, quia videlicet
minores iniqui mala que-
libet faciunt, sed ea nequissi-
mi maiores tuentur. Unde et
huic subditur. Protegunt um-
bre umbram eius. Dum enim ma-
lum peior vindicat, quasi um-
bra umbram ne veritatis lu-
mine irradietur obscurat.

Sequitur. Circumdabunt eum
salices torrentis. Infructu-
ose quidem arbores salicum,
sed tante viriditatis sunt,
ut arescere ut abscise indiu-
tus et precise vix possint. Unde
in sacro eloquio salicum nomine
aliquando per viriditatem boni,
aliquando autem per sterilitatem re-
probi designantur. Nisi enim
electorum vitam per constantiam sue
viriditatis exprimerent, ne-
quaquam dominus de sancte eccle-
sie filiis per prophetam dixisset. Et
germinabunt inter herbas
sicut salices iuxta preterflu-
entes aquas. Sancte enim ecclesie
filii inter herbas sicut sali-
ces germinant, dum inter ares-
centem vitam carnalium hominum
et multiplici numerositate
et perpetua viriditate perdurant.
Quod bene iuxta preterfluentes
aquas germinare perhibentur,
quia unusquisque virtutem ad
fructum percipit ex doctrina
sacri eloquii, qua temporaliter
percurrit. Et rursum nisi per ste-
rilitatem salicum vita peccan-
tium signaretur, nequaquam ex
voce predicantium contra babi-
loniam psalmista dixisset.
In salicibus in medio eius sus-
pendimus organa nostra. Ba-
bylonis quippe in medio sa-
lices esse describuntur, quia in-
mundi infructuosi quique
atque ab amore celestis pa-
trie alieni totis visceribus
cordis in hac confusione seculi
ditantur. Unde et predicatores